

vero quispiam, patentibus hisce litteris nostris palam vel occulte averso a publici boni animo resistere praesumpserit, indubitatos certa et manifesta Legum et Libertatum Patriae proditores et hostes semetipsos declarabunt. Zelosos vero Patriae Cives cumulatissima omnium dignitatum manebit merces, praematuraque immortalis Nominis sequetur gloria. Datum in oppido Miskolz 18. Januarii Anno 1704.

Franciscus Rakoczy Princeps.

(L. S.)

II.

Responsoriae SS. et OO. Croatiae, datae Principi Francisco Rakoczy.

Illustrissime Domine Comes!

Accepimus eas, quas ad nos ex oppido Miskolz transmisistis litteras, quibus nobis significastis, quatenus nostros animos armaque nostra una vobiscum conjungeremus contra domum Austriacam, ejusdemque Domus augustissimae Imperatorem Leopoldum pientissimum, Regem nostrum invictissimum. Cum vero has inter cunctas Revolutiones Croatiae Status et Ordines constanter mansere semper Deo, Regi, Regno et Coronae fideles, qua Catholici, in quantum numquam ad novitates Lutheranae et Calvinianae sectae prolapsi fuerant: ideo bellicis vestris expeditionibus intenti, vigiliis excubamus, ut par pari referre, imo castra armaque vestra retundere valeamus, imperterriti invigilaturi. Datum ex Castris Ormosdinum inter et Varasdinum 25. Januarii 1704.

Comes Banus totumque Regnum.

Copia e Manuscripto Monasterii Sitticensis, in Ducatu Carnioliae siti, nobis a Rev. D. Petro Hitzinger communicata.